

lud Eccles. xv. *Deus creavit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui etc.* (1). Nam ipse etiam Calvinus propter hunc locum fatetur, primum hominem ante lapsum libero arbitrio præditum fuisse lib. i. Instit. cap. 15. §. 8. et lib. ii. cap. 5. §. 18. Quamvis enim adversarii aliam esse velint rationem hominis ante lapsum et post lapsum, quod attinet ad arbitrii libertatem: nos tamen facile probare possumus etiam post lapsum hominem esse liberi arbitrii, si fuit ante lapsum. Nam tota ratio Calvinus (ut postea videbimus) cur homo careat libero arbitrio, est in eo posita, quod libertas hominis pugnet cum providentia Dei. At providentia Dei non inceptit a lapsu hominis, sed fuit etiam antea, cur igitur impediatur post lapsum hominis a libero arbitrio, si ante lapsum non impediatur?

Quid, quod ex hoc ipso, quod Deus providentiam rerum omnium habet, sequitur, ut homo libertate fruatur arbitrii? Nam providentiæ divinæ illud est proprium, non destruere, sed conservare naturas. Disponit enim suaviter omnia, ut legimus Sapient. 8. et, ut inde colligit S. August. lib. vii. de Civitate Dei cap. 30. sic administrat omnia, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat. Itaque cum natura rationalis libertatem arbitrii postulet, eamque ab initio a conditore perceperit: sic hominem divina providentia gubernat et regit, ut liberam ejus electionem nullo modo impediatur.

Atque hoc est quod voluerunt Origenes lib. iii. de principiis cap. 3. Gregorius Nysenus lib. vii. de Philosophia cap. 1. lib. viii. cap. ult. Theodoretus in epitome divinorum decretorum cap. de Providentia, et Joan. Damascenus lib. ii. de fide cap. 29. cum scripserunt, liberam hominum actiones non fieri a providentiâ, sed ab hominum ratione et consilio. Non enim significare voluerunt, providentiam Dei non se extendere ad omnia singularia, cum hoc ibidem fateantur, et probent, sed non determinari ad unum actiones hominum, neque necessitatem eis a providentia adferri; quemadmodum determinantur ea, quæ libera non sunt, eisque necessitas quædam, ut non possint alio modo fieri. Sed de his plura dicentur in responsione ad argumenta.

(1) Eccl. XV. 14.

CAPUT VIII.

Probatur idem ex traditione veterum Patrum.

Quod ex Scripturis probavimus, hominem etiam post lapsum liberi esse arbitrii in actionibus civilibus, et externis, idem nunc probare aggredimur ex traditione, et testimoniis veterum Patrum. Ac primum notabimus testimonia eorum Patrum, qui pro hæreticis habuerunt eos, qui liberum negabant arbitrium. Deinde, singulas eorum sententias adferemus.

Fuerunt igitur permulti, propterea quod liberum negarent, inter hæreticos ab antiquis Patribus numerati. Primis enim Ecclesiæ temporibus Clemens lib. iii. Recognitionum, notavit Simonem Magum hæreseos, quod affirmaret hominem carere libero arbitrio. Deinde, inter hæreses Bardesanis, qui vixit circa annum Domini 170. ponit hanc ipsam de libero arbitrio S. Augustinus lib. de hæres. cap. 35. Inter errores Manichæorum, quorum auctor Manes centum annis Bardesane posterior fuit, numerat S. Hieronymus in præfatione dialogorum adversus Pelagianos, quod tolleretur ab eis liberum voluntatis arbitrium. Eadem hæresis fuit etiam Priscilliani, qui vixit circa annum Domini 390. quam refert S. Augustinus in lib. de hæres. cap. 70. damnat autem S. Leo in epist. 91. ad Turbium, et Concilium Braconense primum, can. 40.

Hunc veterum hæreticorum errorem renovavit postmodum Petrus Abailardus, qui propterea tum ab Innocentio Papa II. tum a Concilio Senonensi damnatus fuit, ut cognosci potest ex epist. S. Bernardi 194. et ex lib. iii. vitæ ejusdem Bernardi cap. 5. Eundem postea renovavit Joan. Wiclefus, teste Thoma Waldensi tom. 1. lib. 1. art. 1. cap. 28. et iterum errorem eundem damnavit Concilium Constantiense sess. 8. Cum igitur toties hic error a Patribus notatus, a Pontificibus et Conciliis damnatus fuerit; certe mirari non debent hujus temporis novatores, si eos inter hæreticos numeravimus. Eorumque sententias Leo X. et consequentes Pontifices, necnon Tridentinum Concilium Oecumenicum cum aliis multis diversarum provinciarum Synodis damnaverunt.

At, inquit, veteres hæretici, Simon Magus, Bardesanes, Manichæus Priscillianus, non simpliciter negabant liberum arbitrium, sed vel inducebant duo principia coæterna, unum bonum, alterum malum; vel fato, et stellis homines alligabant: unde sequebatur, ut peccata hominum, vel principio illi malo, vel stellis, non autem ipsis hominibus tribuerentur. Sed quid hoc ad causam? veteres enim Patres, non solum reprehendunt in antiquis illis hæreticis causam, unde impellebantur ad negandum liberum arbitrium, sed etiam disertis verbis id notant, quod negarent liberum arbitrium.

Quin etiam unum ex argumentis, quibus utebantur ad refellenda duo principia, sive duas naturas, et fata illa stellarum, erat, quia sequebatur homines carere libero arbitrio, quod semper fuit in Ecclesia dogma certissimum. Certe S. Hieronymus in præfat. dialogor. adver. Pelagianos, dum ita loquitur: « Manichæorum est, hominum damnare naturam, et liberum auferre arbitrium. »

Disertis verbis duos Manichæorum distinxit, atque damnavit errores; quorum alterum ad se pertinere, quicquid de altero sit, Calvinus et Bucerus, eorumque Sectarii, negare non possunt. Sed veniamus ad ipsas Patrum sententias breviter recitandas.

CAPUT IX.

Adferuntur testimonia ipsorum Patrum.

Sanctus Irenæus lib. iv. cap. 71. « Consilium, inquit, bonum dat omnibus, posuit autem Deus in homine potestatem electionis, quemadmodum et in Angelis. » Et cap. 72. « Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, et multo prius ipse Dominus consilium dare, quæ quidem facere, a quibus vero abstinere? »

Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, pag. 65. « Sed, inquit, nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa essent, si anima non habeat liberam potestatem. »

Origenes lib. ii. contra Celsum pag. 780. « Videamus, inquit, quid Celsus dicat postea. Hic, inquit, cum Deus esset, prædixit, et omnino oportebat fieri quod prædixerat. Deus ergo suos discipulos, et Prophetas, cum

quibus cibum et potum sumebat, eo necessitatis adduxit, ut contra jus ac pietatem facerent. Respondebimus et ad hæc, quando jubes, ut ne ipsa quidem argumenta præteream, quæ mihi videntur frivola. Celsus putat, quod aliquis præsciis prædixit, ideo fieri, quia prædictum est: nos vero hoc non concedentes, dicimus, non prædictorem causam esse futuri, sed futurum illud quod omnino eventurum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori causam prædicendi dedisse, totum enim in præcognitione vasisest, cum alterutrum fieri possit, fore hoc alterum, non dicimus præcognitorem adimere possibilitatem, ut vel fiat, vel non.

Quibus verbis Origenes diluit objectionem Celsi, qui probare conatus fuerat, Christum prædicendo prodictionem Judæ, attulisse necessitatem ipsi Judæ, ut facinus illud prodictionis committeret; quia necesse erat fieri, quod Christus Deus futurum esse prædixerat. Respondet igitur Origenes, prædictionem non adferre necessitatem, quia non ideo res fit, quia præcognita est, sed ideo præcognita est, quia futura erat. Quare paulo infra docet, Judam sic prodidisse Dominum, ut potuerit non prodere, atque ita concordat præscientiam cum contingentia et libertate. Idem etiam Origenes lib. 3. de principiis cap. 1. copiose probat, hominem esse liberi arbitrii, et respondet ad omnia argumenta, quæ nunc adversarii proferunt, quæque ab antiquis hæreticis proferebantur.

Eusebius Cæsariensis lib. vi. de præparat. Evangel. cap. v. probat optimis argumentis, libertatem a necessitate non pugnare cum providentiâ: « Nam, inquit, si eventura omnino sunt prospera, vel adversa unicuique homini, estque necesse hæc me agere, et te illa, quid oportet cura, laboreque confici? » Et infra: « Quomodo, inquit, cum sentiamus nostra nos appetitione moveri, non omnino amentissimum erit ab exteriori quadam vi, quasi animi expertes moveri nos credere? sic enim libera voluntate alia fugimus, alia sequimur, ut quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, sed reipsa comprehendimus: ita a nostro ipsorum consilio, aut ad fugiendum, aut ad sequendum moveri nos profecto sentiamus. Quas ob res rationalis naturæ libertas jure negari non potest. »

S. Athanasius in serm. de passione et cruce Domini, proposita questione, an quæ

sunt divinitus præcognita, et prædicta ex necessitate eveniant, ita respondet : « Non propheta istarum rerum auctor est, aut causa, sed ipsorum voluntas, quin potius ipsi in causa fuerunt, ut talia de ipsis Prophetae prædivinarent. Prophetae proprium est futura prospicere et non hallucinari, hominum autem est agere quod velint. »

S. Basilius in serm. de libero arbitrio : « Quod, inquit, in hominis potestate situm est liberum arbitrium, in eligendo et non eligendo situm est. » Item in oratione, quod Deus non sit auctor malorum : « Cur, inquit, anima ad malum suscipiendum apta fuit? propter liberum arbitrium, quod maxime rationalem naturam decet. Soluta enim ab omni necessitate, et voluntariam, ac in sua potestate sitam vitam a conditore adeptam per hoc ad imaginem Dei creata est. »

S. Gregorius Nazianzenus in 1. Apologet. non procul ab initio : « Singularis, inquit, et eximiae Dei bonitatis argumentum est, facere ut nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, nec natura nobis inseratur, sed voluntate, animique proposito excolatur, arbitriique libertate, parem in utramque partem motum habente. »

S. Gregorius Nyssenus lib. IX. de philosophia cap. 3 : « Omnis, inquit, qui consultat, quasi in ejus potestate existente electione de operabilibus consultat, ut quod per consilium decernitur eligat, et eligens faciat. Necesse igitur est eum, qui consultat, Dominum esse actionum. Si enim non fuerit Dominus actionum, ex superfluo consultat; si vero hoc ex necessitate assistit vi rationali liberum arbitrium, aut enim non erit rationalis, aut dominium suarum actionum obtinebit : dominari autem actionum omnino liberi arbitrii est. »

S. Joannes Chrysostomus homil. 60. in Matth. explicans illud : « Necesse est, ut veniant scandala. Necessitatem, inquit, dicit, non quia libertatem voluntatis, potestatemque liberi arbitrii tollat : nec quia necessitati rerum humanam vitam subiciat, sed quod omnino venturum est, pronunciat. » Et infra : « Non quia futura scandala prædixit, idcirco veniunt; sed quoniam futura erant, idcirco prædixit. » Et serm. 2. de Fato : « Deus dicit, posui ante te vitam et mortem, ad quod volueris, extende manum tuam. Dæmon dicit, non est in te quod extendas manum tuam, sed necessitate quadam et vi id agis. Videntur ne tibi hæc fide digniora? »

S. Epiphanius hæres. 16. « Quare, inquit, omnibus manifestum, clarumque ac minime ambiguum est, quod liberum arbitrium exhibuit nobis Deus, dicens, si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. »

S. Cyrillus lib. II. in Joan. cap. LIV. « Liberum, inquit, hominis arbitrium his verbis ostendit, qui ad alterutrum secundum animi sui iudicium potest proficisci. » Et lib. IV. cap. 7. « Non possumus, inquit, secundum Ecclesiae, veritatisque dogmata liberam potestatem hominis, quod liberum arbitrium appellatur, ullo modo, negare. » Et lib. IX. cap. 10. « Rationali creaturæ liberam potestatem creator largitus est, et suæ voluntatis habenas unicuique commisit, ut in eo sit, quidquid probaverit eligere. »

S. Joan. Damascenus lib. II. de fide cap. 26. « In nobis, inquit, sunt ea, quorum summus liberam adepti potestatem, et facere et non facere. »

Theophylactus in comment. ad cap. XV. Lucae : « Rationalis, inquit, ad quam subsequitur liberum arbitrium substantia est hominis, omne enim rationale liberi arbitrii est. »

Jam ex Latinis Tertullianus lib. II. adversus Marcionem ante medium : « Tota libertas arbitrii in utramque partem homini concessa est, ut sui dominus constanter occurreret, et bono sponte servando, et malo sponte vitando. »

S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornel. « Homo, inquit, libertati suæ relictus, et in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipsi vel mortem appetit, vel salutem. »

S. Hilarius in Psal. II. « Unicuique, inquit, nostrum libertatem vitæ, sensumque permisit non necessitatem in alterutrum affigens. »

Sanctus optatus Milevitanus lib. VII. in Parmeniam. « Homicida, inquit, potest scelus facere, potest et non facere, et cætera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. »

S. Ambrosius in comment. Psal. XL. « Homini, inquit, dedit eligendi arbitrium quid sequatur. »

S. Gaudentius Brixianus tract. 3. in Exod. « Libertatem, inquit, diximus arbitrii, quia voluerunt Judæi facere quod fecerunt, et si nolissent, non fecissent. » Et infra : « Præscientia quidem Dei non fallitur, sed nec homini concessa semel voluntatis libertas aufertur, ne nihil de eo judicare possit, qui liber non fuerit in agendo. »

S. Hieronimus in epist. ad Ctesiphontem extrema : « Frustra, inquit, blasphemias, et ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat. » Item commentar. cap. XXVI. Hieremie, explicans illud : « Forsitan audient et convertentur : Verbum, inquit, ambiguum, forsitan majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex præscientia ejus, quasi ex necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est : sed quia futurum est, Deus novit quasi præsciens futurorum. »

S. Augustinus in lib. de quantitate animæ cap. 36. « Datum est, inquit, animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut ne ista quidem vana, atque sacrilega, propria voluntate se dicere intelligent. » Item lib. V. de Civit. Dei cap. 10 : « Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas est, negare præscium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur. » Et infra : « Neque ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit; immo ideo non dubitatur ipsum peccare cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit, qui si nolit, omnino non peccat sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit. »

Auctor operis, quod inscribitur Hypognoticum lib. III. non procul ab initio : « Ipsum, inquit, liberum arbitrium in hominibus esse, certa fide credimus, et prædicamus indubitanter. » Et infra : « Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis negaverit, Catholicus non est. »

S. Innocentius I. in epist. ad Concilium Carthaginense : « Liberum, inquit, arbitrium cum nasceremur accepimus. »

S. Leo Papa I. serm. 16. de passione Domini : « Nec præsciendo, inquit, quod faciendum esset, coegit, ut fieret, quamvis ad hoc carnem assumpsisset, ut fieret. »

S. Prosper Aquitanus in responsione ad object. 6. Gallorum : « Liberum, inquit, arbitrium nihil esse, vel non esse, perperam dicitur. »

His addi possent recentiores, S. Gregorius,

S. Fulgentius, Venerabilis Beda, S. Anselmus, S. Bernardus, et alii, quos de industria prætermittimus, tum, quod obscurum non sit, eos S. Augustini doctrinam in omnibus sequi, tum, quia testimonia ipsorum cum aliis pluribus adscribentur, cum de libero arbitrio in actionibus moralibus disseremus. Nam illa omnia testimonia, si probabunt hominem esse liberi arbitrii in actionibus bonis et malis, multo magis probabunt id, quod nunc agimus, hominem videlicet esse liberi arbitrii in actionibus indifferentibus et civilibus.

CAPUT X.

Evidens esse lumine rationis naturalis, hominem liberi esse arbitrii in actionibus civilibus in externis.

Demonstravimus hucusque adversus hæreticos libertatem arbitrii, et testimoniis Scripturarum et Patrum : nunc tum adversus eosdem hæreticos, tum adversus paucissimos quosdam Catholicos, quos cap. 5. nominavimus, demonstrabimus eandem arbitrii libertatem ex ratione, ac lumine naturali.

Prima igitur ratio duci potest a communi consensu sapientum, etiam ethnicorum. Id enim Peripatetici docent, ut perspicuum est ex Aristotele lib. III. Ethicor. cap. 1. 2. 3. et sequent. Idem Academici, ut plane constat ex Platone in Gorgia, et alibi. Idem etiam Stoici, qui tamen fatum acerrime defendebant. Nam (ut scribit S. Augustinus lib. V. de Civit. Dei cap. 10.) Stoici cætera omnia fato subiciebant præter animos humanos. Quare Plutarchus in lib. de Placitis Philosophorum, affirmat, Stoicos de libertate arbitrii idem cum Platone sensisse. Idem de Stoicis et Platonis confirmat Gregorius Nyssenus in libro de fato cap. 1. 2. et 3. quibus etiam adjungit Sapientes Ægypti. Marcus etiam Tullius (eodem Augustino teste lib. V. de Civit. Dei cap. 9.) maluit Deo providentiam auferre, quam homini libertatem, et ita ut faceret homines liberos, facit sacrilegos. Cum enim libertatem humanam cum providentia divina copulare non posset, elegit id quod erat notius quodque in se ipse singulis fere momentis experiri videbat. Multorum præterea Ethnicorum testimonia adducit Eusebius lib. VI. de præparat. Evan-

gel. cap. 6 et 7. Denique Calvinus ipse lib. 2. Institution. cap. 2. §. 2. fatetur Philosophos summo consensu libertatem arbitrii docuisse.

Altera ratio sumitur a consensu orbis terrarum universi. Nulla est enim aut fuit unquam respublica, nullum imperium, quod non habuerit publicum consilium, magistratus, leges, pœnas, præmia. Quæ omnino supervacanea essent, si libertatem arbitrii homines non haberent. Item in omni exercitu imperatores et duces et oratione, et promissis, et tympanis, et tubis accendunt animos militum. Sed quorsum hæc fierent, si non consilio, et deliberatione animi homines ad opera sua se ipsi moverint, et possent pro arbitrio agere et non agere? Adhæc omnes omnino homines prudentiam, atque industriam necessariam esse consent in operibus humanis, sive ii sint mercatores, sive agricolæ, sive opifices, sive quicumque alii. Quare recte docet Euseb. lib. vi. de præparat. Evang. cap. 5. eos, qui sentiunt, omnia fieri ex necessitate, nihil contingenter et libere, pervertere aut evertere humanam vitam universam.

Tertia ratio ducitur ab experientia, quæ illos ipsos, qui verbis liberum arbitrium negant, re ipsa, et factis, illud affirmare compellit, id quod ex Alexandro Aphrodisæo docet Eusebius lib. vi. de præparat. Evang. cap. 7. nam illi etiam, qui negant arbitrii libertatem, hortantur suos, eisque præcipiunt, puniunt quoque si perperam agant, solliciti sunt in periculis, cauti in rebus dubiis, et si quis eos afficiat injuria, irascuntur, et ultionem parant. Quod in Calvinianis maxime cernere est, qui si uno verbo forte lædantur, mox evomunt libros plenos conviciorum. At si vere sentiunt, eos quibus irascuntur, non potuisse injuriam non inferre, cur, quæso, irascuntur.

Dicent fortasse, se quoque non posse irasci. Cur igitur non similiter irascuntur, si a phrenetico, vel puero similem injuriam patiantur? et si serio credunt, eos, quos hortantur, et quibus præcipiunt, necessitate quadam impelli, ut non possint aliud facere, quam quod faciunt, cur tempus et in cohortando et præcipiendo frustra terunt? quod si ipsi quoque ex necessitate hortantur et præcipiunt; cur non utuntur hortationibus, et præceptis erga stultos, aut pecora? cur tantum erga homines et sanos et sobrios? Nonne igitur experientia plane cogit fateri,

liberum esse arbitrium tum in nobis, qui hortamur, præcipimus, irascimur, tum in iis quos hortamur, quibus præcipimus, et quibus irascimur, quandoquidem nihil ejusmodi agimus erga eos, quos libero arbitrio carere non dubitamus?

Quarta ratio, sumitur ex peccatis hominum. Siquidem evidens est, homines quandoque peccare; nec minus est evidens neminem posse sine arbitrii libertate peccare. Conscientiæ stimulus, ac remorsus; verecundia quæ nascitur ex peccato; reprehensiones aliorum; commune odium in eos, qui male agunt, ita ut etiam furibus sint fures invisibiles, apertissime testantur, homines quandoque peccare. Neminem autem peccare in eo, quod necessitate facit, tam esse manifestum, et omnibus certum, docet S. August. in lib. de vera relig. cap. 14. ut nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat; et in lib. de duabus animabus cap. 11. scribit, hoc a pastoribus cantari in montibus, a poetis in theatris, ab indoctis in circulis, a doctis in bibliothecis, a magistris in scholis, a Pontificibus in templis, a genere humano in orbe terrarum.

Quinta ratio ducitur ab ipsa rei natura; talis est enim in unaquaque re modus appetendi, qualis est cognoscendi; appetitio enim cognitionem sequitur, nec fieri potest, ut quis appetat rem incognitam. In hominibus autem est cognitio finis et mediorum ad finem tum necessariorum, tum etiam contingentium igitur hominum appetitio ex necessitate fertur in finem, et in ea media, quæ sunt cum fine ex necessitate connexa: in alia vero non nisi contingenter. Atqui hoc est, hominem esse liberum libertate contingentiae, posse videlicet accipere vel rejicere ea media, quæ ratio docet non necessario cum fine esse connexa. Rursus (ut recte colligit Gregorius Nyssenus in lib. 7. de Philosophia cap. 1.) consultatio ad electionem ordinatur, proinde ubi est vis consultiva, ibi etiam est vis electiva, ubi autem est vis electiva, ibi est libertas arbitrii, cum nihil sit aliud libertas arbitrii nisi potestas electionis: evidens autem est, esse in homine vim consultivam, ut experientia ipsa testatur; igitur evidens quoque est, esse in homine vim electivam, atque arbitrii libertatem.

CAPUT XI.

Respondetur ad argumenta, quæ sumunt adversarii ex divinis litteris.

Sed jam argumenta Calvinii, aliorumque hæreticorum proponenda et solvenda sunt. Et quoniam ducunt etiam ipsi argumenta a Scripturis sanctis, a testimoniis veterum, et a ratione, initium a Scripturis faciemus.

Calvinus igitur producit hæc loca. Primum ex lib. Exodi cap. xi. ubi Ægyptii a Deo impulsus, dederunt Hebræis pretiosissima vasa, et vestes, aliaque permulta, quæ sine dubio nunquam daturi fuissent, si vere liberum arbitrium habuissent. Secundum ex Genes. XLIII. ubi Jacob dicit filiis suis: *Det vobis Deus invenire misericordiam coram viro* (1). Quod certe non diceret, nisi existimaret a Deo flecti et regi corda hominum. Tertium ex illo Jud. xv. 14. *Irruit super eum spiritus Domini* (2). Quartum ex illo II. Reg. XVII. ubi Deus effecit, ut Absalon sequeretur consilium Achitophel. Quintum ex illo III. Reg. XII. ubi Deus inclinavit cor Roboam, ut sequeretur consilia juvenum. Sextum ex illo Josue 2. ubi teste Rahab Deus ad introitum Hebræorum in Palestinam, immisit terrorem et pavorem in corda incolentium terram illam. Septimum ex Levit. XVI. et Deuter. XXVIII. ubi Deus Israelitis ait: *Dabo vobis cor avidum, et oculos deficientes* (3), etc.

His accedant testimonia, quæ ante proposuerant Lutherus et Melancthon. Sit igitur Octavus locus ex illo Isaie XXVI. *Omnia opera nostra in nobis operatus es, Domine.* Nonus ex illo Hierem. X. *Scio Domine quia non est in homine via ejus, nec viri ut dirigat gressus suos.* Decimus ex illo I Reg. II. *Non audierunt vocem patris sui (filii Heli) quia voluit Dominus occidere eos.* Undecimus ex illo I Reg. X. *Abiit eum eo (Saul) pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.* Duodecimus ex illo Proverb. XVI. *Homini est præparare cor, Domini autem est gubernare linguam.* Item: *Cor hominis cogitat viam suam, et Dominus dirigit gressus ejus.* Tertius decimus ex illo Proverbior. XX. *A Domino diriguntur gressus*

viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam? Quartus decimus ex illo Proverb. XXI. *Cor Regis in manu Domini, quacumque voluerit inclinabit illud.* Quintus decimus ex illo Matth. X. *Unus passer non cadit in terram sine Patre vestro.* Sextus decimus ex illo Rom. XI. *Quoniam ex ipso, et in ipso, et per ipsum sunt omnia.* Item ex illo I Corinth. XII. *Omnia in omnibus operatur.* Denique ex illo Ephes. I. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* (4).

In explicatione horum locorum pauca quædam notanda sunt. Primum est, non esse idem liberam electionem et liberam executionem. Libera enim electio necessaria est ad libertatem arbitrii conservandam, non item libera executio, ut S. Joan. Damascenus recte docet in lib. II. de fide cap. 26. Itaque potest Deus nec solum Deus, sed etiam homines impedire, quo minus aliquis re ipsa faciat quod elegit ac decrevit, nec tamen detrimentum ullum patietur liberum voluntatis arbitrium.

Atque hinc respondetur ad testimonium nonum, duodecimum, et tertium decimum. Nam dicitur, non esse in homine via ejus, quia quamvis ipse mature deliberet et proponat, tamen non est in ejus potestate progressus negotii, cum multis variisque modis impediri possit. Et ideo Sapiens dicit, cor hominis cogitare viam suam, id est, præmeditari et ordinare quid, et quomodo sit faciendum; tamen eventum esse in manu Dei, a quo petendum esse, ut dirigat gressus.

Nec solum in factis, sed etiam in verbis, sæpenumero executio non est in potestate hominis: sæpe enim diligenter meditamur verba, quæ dicturi sumus, et statuimus animo ita loqui ut nihil falsi, nihil noxii, nihil supervacanei nobis excidat, et tamen, nisi Deus speciali gratia linguam gubernet, non implemus quod proposuimus.

Neque vero hinc sequitur (ut Pelagiani volebant) posse nos sine Dei auxilio, præparare cor, aut cogitare viam nostram, quia scriptum est, *homini est præparare cor: et, homo cogitat viam suam.* Nam neque sumus sufficientes, cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, ut Apostolus ait II. Corinth. III. Neque ita diriguntur gressus nostri a Deo, ut non etiam eos nos dirigamus, juxta

(1) Gen. XLIII, 14. — (2) Jud. XV, 14. — (3) Deut. XXVIII, 65. — (4) Isaie, XXVI, 12; Hier. X, 23; I Reg. II, 25; I Reg. X, 26; Pro. XVI, 1; Pro. XX, 24; ibid. XXI, 1; Matth. X, 29; Rom. XI, 36; I Corin. XII, 6; Eph. I, 11.